



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 143. Idem in captivitate mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

erat Vir astuto peracrique ingenio, & ad <sup>saecul. XV.</sup> turbas ciendas nato. Dicebatur cum <sup>A.C. 1440.</sup> Philippo Mediolanensium Duce necnon, ut ferunt alij, cum Nicolao Picinino praefati Philippi inelyto Belliduce secreta fovisse consilia, ut Florentiam ex improvise caperet, & exercitu suo, necnon munitissimis, quas occupaverat, arcibus adjunctus, Pontificatam sibi vendicaret. Attamen haec sive vera, sive ab aemulis per invidiam conficta fuerint: id tamen certum est, quod Eugenius eo ex tempore Vitellescum comperescere decreverit, atque arcis S. Angeli Praefecto, ut eum comprehenderet, praeeperit.

## §. CXLIII.

*Vitellescus in captivitate mortuus.*

Igitur Cardinalis, cum quadam die nonnisi familiaribus stipatus (copias quippe militares jam praemiserat) urbem solus egredi vellet, die prima Aprilis ab arcis Praefecto comprehensus est. Hic enim sub honoris specie, & secretioris colloquii simulatione equi habenas moliter tractabat, Cardinalem aliquamdiu comitatus; verum confestim demissa ad signum condictum cataracta, a militibus praesidiariis intra arcem pertractus est Vitellescus, qui, cum se tueri vellet, ipse gladio perfossus paucis ex post diebus vul-

Sæcul. XV. vulneris acerbitate obiit, caruitque fune-  
 A. C. 1440. ris, tumulique honore.

## §. CXLIV.

*Ludovicus Mediarota Archiepiscopus  
 Florentinus.*

*Paul. Jov.  
 elog. l. 2.*

In Vitellesci locum suffectus est ab Eugenio Papa exercitus sui Dux, Ludovicus Mediarota Patavinus, Florentiæ Archiepiscopus, & Patriarcha Aquileiensis, vulgari magis nomine dictus Mediorota, ortus ex familia de *Arena*, cujus tamen nomen neglexit, atque illud a Matre sua assumpsit. Docuerat primum publice artem Medicam, dein Romam profectus Eugenii Papæ gratiam aucupari, perbene noverat, ac postquam Nicolaum Piceninum Ducis Mediolanensis belli Præfectum ad Anglariam prælio devicerat, in rei feliciter navatæ præmium hoc anno Cardinalium collegio adscriptus est, postquam decedente Cardinale Vitellesco Archiepiscopus Florentinus, & postea Patriarcha Aquileiensis creatus fuerat. Vir erat, in cujus venis generosus semper micabat sanguis, quique pro Pontifice contra Mediolanenses, & adversus Alphonsum Regem diversa bella propitia semper fortuna gessit. Ab Eugenio Camerarius quoque Ecclesiæ renuntiatus est, vulgo nominatus Cardinalis Patavinus. Postmodum